

vertice oculo duplo latiore; antennis pubescentibus, articulo secundo pronoto æque longo, tertio secundo circiter $\frac{3}{5}$ brevior, quarto tertio $\frac{1}{4}$ brevior; pronoto annulo apicali opaco, disco nitido, sat remote impresso-punctato, lateribus densius et fortius punctatis, basi annulo apicali triplo et longitudine vix dimidio latiore; scutello toto laevi; hemielytris clavo corioque externe et juxta suturam clavi fortius punctatis, disco et apice nec non cuneo subtiliter remote punctatis, clavo vitta ante apicem, corio macula infra basin, vitta versus angulum interiorem, macula exteriore apicali maculaque anguli interioris cunei pallidius piceis; membrana basi cum areolis picescente, dimidio apicali arcuatim pallidior, venis nigropiceis; tibijs spinulis tenuibus concoloribus. — Long., ♀ $3 \frac{2}{3}$ mill.

7. *Lamprocranium* nov. gen.

(Divisionis *Pilophoraria*).

Corpus oblongo-ovale, superne glabrum. Caput nutans, laevissimum et nitidissimum, ab antico visum latitudine cum oculis vix longius, a latere visum altitudine paulo longius, fronte et vertice ad unum a basi sensim declivibus, clypeo a fronte impressione haud discreto sed cum ea sinuato-confluente, prominente, angulo faciali subrecto, loris discretis versus scrobem antennarum vergentibus, gula fere dimidium capitis occupante, obliqua. Rostrum medium coxarum intermediarum attingens, articulo primo basin capitis haud superante. Antennae paulo infra tertiam apicalem partem oculi interne insertae, articulo primo apicem clypei superante, secundo tertia apicali parte leviter incrassato, ultimis simul sumtis secundo aequae longis et basi ejus parum gracilioribus. Pronotum leviter transversum, apice leviter sinuato, strictura annuliformi angusto instructum, lateribus leviter sinuatis, basi medio supra scutellum truncata latera versus leviter oblique truncata, disco versus apicem leviter declivi, impresso-punctato, callis in unum confluentibus, nitidissimis. Scutellum æquelateraliter triangulare. Hemielytra impresso-punctata, clavo serie punctorum regulari juxta suturam clavi, cuneo laevi. Alae areola hamo destituta. Xyphus prostethii sub-